



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Lvdovici Molinæ, E Societate Iesv Theologiae Doctoris, &  
Professoris, Commentaria, In primam D. Thomæ partem**

**Molina, Luis de**

**Lugduni, 1622**

Vtrum res semper assequantur finem ad quem ex diuina prouidentia  
ordinantur. disp. 2.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73915)

liter existens ad externos, quibus id, quod prouidentia præconceptum, & statutum est, executioni mandatur. Hac de causa differit D. Thomas hoc loco de prouidentia, ubi de Deo, & de iis quæ formaliter in Deo sunt disputat: de creatione verò à quæ. 44. & de gubernatione à quæst. 103. incipit differere. Quod autem non sola gubernatio, sed etiam creatio ipsa executio sit diuinæ prouidentia, vel ex eo probari potest, aduersus Durandum in 1. d. 39. quæstio. 3. quoniam à prima rerum productione in hominis utilitatem conditas fuisse tam accommodatè cæteras res corpóreas à Deo, totumque vniuersum tam congruè ad ostensionem diuinæ bonitatis, sapientia, atque potentia fabricatum, & singulas illius partes, & non solùm illius, sed etiam cuiusque viuientis tam aptas ad suas peculiare functiones ac fines, quis non videt effecta esse, atque executionem diuinæ prouidentia, vt ex definitione prouidentia liquido constat?

*Prouidentia proprie est actus intellectus diuini, & completur verò per actum voluntatis.*

Quod si petas, cuiusnam potentia actus sit prouidentia? Dicendum est, præcipuè esse actum intellectus practici: cum sit ratio, seu conceptio ordinis rerum in finem: addere verò propositum mandandi executioni talem ordinem, qui actus ad voluntatem pertinet, completque perfectam ratione prouidentia. Quado ergo Damascenus secundo libro fidei Orthodoxæ capite 29. ait, *Prouidentiam esse voluntatem Dei, per quam omnia, que sunt ad conuenientem gubernationem suscipiunt*, intelligendum est, esse voluntatem, seu actum ac determinationem voluntatis Dei, tamquam id, quod rationem prouidentia complet, non tamen negandum est, præcipuè includere rationem ipsam, conceptionemve taliter gubernandi res, quam determinatio voluntatis præexigit, vt compleatur ratio diuinæ prouidentia. Ferrariensis 3. contra gentes cap. 64. ait, *solum actum intellectus sine proposito exequendi, posse etiam dici prouidentiam extenso vocabulo prouidentia*: communiter tamen solùm accipitur, vt comprehendit propositum mandandi executioni ordinem conceptum. Hac quod attinet ad primum eorum quæ proposita sūt.

Quod verò attinet ad secundum, conclusio Diui Thomæ est, in Deo est prouidentia, non qua se ordinem in finem suum, quod ad prouidentiam, atque prudentiam monasticam spectat, sed qua creaturas ordinar & dirigat in proprios ipsarum fines, quod ad prouidentiam ciuilem, regiam, atque Monarchicam pertinet. Prior pars est de fide, patetque ex illo Sapientia capite 14. *Tua autem Pater prouidentia ab initio cuncta gubernat*. Et ex illo Matthæi capite sexto. *Respicite volatilia cæli, quoniam non seruiunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & pater vester pascit illa. Considerate lilia agri, &c. Si ergo sanum agri Deus sic vestit, quanto magis vos modica fidei &c.* atque ex multis aliis sacrae Scripturae testimoniis. Probatur verò à Diuo Thomâ, quoniam ordo rerum in suos fines particulares, atque in finem omnibus communem, est à Deo, vt in superioribus ostensum fuit: sed Deus est causa rerum per intellectum & voluntatem: ergo ratio & conceptio ordinis rerum in suos fines præexistit in mente diuina: talis verò ratio & conceptio ordinis rerum in suos fines est prouidentia: est enim prouidentia præcipua pars prudentia, cuius proprium est ordinare res in finem, vt Aristoteles 6. Ethico. capite 8. & 12. docet: ergo in Deo prouidentia constituenda est. Posterior verò pars probatur, quoniam Deus non habet finem, ad quem ipse ordinetur, cum neque ipse, neque quæ in eo sunt formaliter, possint vlla ratione subire rationem effectus. Quò fit, vt prouidentia di-

uina non sit monastica, sed qualis in rege, atque monarcha reperitur, siquæ comparatione creaturarum, quas in suos fines dirigit. Porro ratio illa quarta, qua quæstio secunda, articulo tertio, ex accommodatissimo ordine rerum omnium in suos fines, ac prouidentia, quæ tamquam in suo effectu mirum in modum in toto hoc mundo vniuerso elucet, luce clariùs ostēdimus Deum esse, additis iis, quæ post eandem rationem eo loco adieciimus, satis aperte tibi demonstrabit in Deo esse prouidentiam, qua cunctas res creatas gubernet.

DISPUTATIO III.

*Utrum res semper assequantur finem, ad quem ex diuina prouidentia ordinantur.*

**C**aietanus hoc loco arbitrat, diuinam prouidentiam non solùm includere rationem ordinis rerum in finem cum proposito mandandi executioni talem ordinem, quantum est ex parte Deis sed etiam includere assecutionem finis. Atque ita vult temper res assequi fines, ad quos ex diuina prouidentia diriguntur. Quod si res aliqua cuiusmodi finem non assequatur, ait talem rem non esse ordinatam in eum finem à diuina prouidentia.

**S**uaderi autem potest hæc sententia primò, quoniam prædestinatio est pars quadam diuinæ prouidentia: prædestinatio verò non solùm est de mediis ad finem vltimum, sed etiam de fine ipso assequendo: quippe cum nullus prædestinatus dicatur, qui sempiternam felicitatem non sit cōsecutus: ergo prouidentia diuina assecutionem finis includit.

**S**ecundò, prouidentia diuina præter rationem ordinis mediorem in finem, includit proportionem voluntatis mandandi executioni talem ordinem, quod quidem propositum pertinet ad voluntatem Dei absolutam: cum ergo voluntas Dei absoluta semper impleatur, fit, vt prouidentia diuina assecutionem finis includat.

**T**ertiò, si diuina prouidentia non includeret assecutionem finis, fierique posset vt res eum finem non assequeretur, ad quem ex diuina prouidentia ordinatur, sequeretur diuinam prouidentiam posse frustrari, quod nulla ratione videtur concedendum. Vnde D. Thomas art. 4. sequenti ad secundum & tertium & 3. contra gentes c. 94. ait, *Ordinem diuine prouidentia esse certum, immobilem, & indissolubilem quoad effectus assecutionem*. Idem etiam innuit aperte Boëtius 4. de Consolatione prolâ 6.

**A**ccedit in confirmationem huius sententia Ecclesia: autoritas, quæ in oratione Dominica septima post Pentecosten ad Deum precatur. *Deus, cuius prouidentia in sui dispositione non fallitur, te supplices exoramus, vt noxia cuncta submoueas, & omnia nobis profutura concedas.*

**C**ontraria nihilominus sententia nempe ad prouidentiam diuinam necessarium non esse vt id, quod per eam in finem ordinatur, talem finem assequatur, est Durandi in 1. d. 40. quæst. 1. Egidij d. 39. 2. parte dist. q. 1. Marfilij, quæst. 41. art. 1. Ferrariensis 3. contra gentes cap. 94. Siluestri in Conftrato q. 22. artic. 1. imò est expressa D. Thomæ de veritate quæst. 6. art. 1. & in 1. d. 40. art. 2. Vt enim eisdem in locis ait, *in qualibet ordinatione ad finem duo possumus considerare, ipsum scilicet ordinem, & exitum, vel euentum ordinis: non enim omnia, quæ ad finem ordinantur, finem consequuntur. Prouidentia ergo ordinem in finem respicit tantum, vnde per Dei prouidentiam omnes homines, ad beatitudinem ordinantur, sed prædestinatio respicit etiam exitum, vel euentum ordinis, vnde non est*

*Caietani sententia.*

*Suaderi primò.*

*Secundò.*

*Tertiò.*

*Confirmatio.*

*Diuina prouidentia non includere finem assecutionem.*

*est nisi eorum qui gloriam consequuntur.* Haecenus D. Thomas. Caietanus tamen ait, Dium Thomam hoc loco & 3. contra gentes cap. 64. sententiam reuocasse. At Syluester ait, solum Caietanum inter sectatores D. Thomae id de diuo Thoma affirmare. Ferrariensis autem loco citato ita interpretari conatur loca, quae Caietanus adducit, vt Dium Thomam semper in eadem perstitisse sententia contendat. Quicquid ergo sit de mente D. Thomae, amplectenda est proculdubio sententia horum Doctorem.

Probari autem potest in primis, quia ad prouidentiam ducis, medici, atque diligentis agricolae, factis est, si adhibeat accommodata & opportuna media ad finem, siue finis sequatur, siue aliunde impediatur, vniuersumque ad prouidentiam humanam necessaria non est affectio finis: cum ergo sumere liceat argumentum ab humanis ad diuina, fit, vt neque ad prouidentiam diuinam necessaria sit affectio finis.

Secundo, virtus a generantibus impressa seminibus ad producenda indiuidua eiusdem speciei perfecta, conferuandamque speciem, est effectus diuinae prouidentiae ordinantis eiusmodi medium in eum finem: sed eiusdem rationis est haec virtus in eo semine, quod ex aliqua causa superueniente impeditur, vel ne omnino producat effectum, vel non talem, qualem produci oportebat, atque in eo, quod non impeditur, eodemque modo est collata vtrique ab autore naturae interuentu causarum secundarum: ergo vtrouique est effectus diuinae prouidentiae tamquam medium ordinatum ad finem: non ergo de ratione diuinae prouidentiae est affectio finis.

Confirmatur praeterea haec ratio, quia quando semen impeditur, ne producat effectum perfectum, sequiturque monstrum, monstrum, quod ita resultat, est effectus a casu respectu seminis, non alia ratione, nisi quia est praeter intentionem agentis, quod intendebat rem perfectam producere, vt secundo Physicorum ostendimus: cum ergo semen non dicatur intendere, aut agere propter finem, nisi ex directione prima causa prouidentis, ordinantisque virtutem seminis ad producendum effectum perfectum, fit, vt ea virtus a diuina prouidentia ordinata sit ad producendum effectum perfectum, ac prouide, vt ad rationem diuinae prouidentiae necessaria non sit affectio finis, ad quem media per eandem prouidentiam ordinantur. Deus namque in causis contingentibus ita media, quae confert, ordinat ad finem, vt eas suis naturis relinquat, permittatque, alias ab aliis quoad effectuum suorum productionem impeditur: quare non semper voluntate efficaci vult eum finem, ad quem media, & causas contingentes ordinavit, sed interdum voluntate conditionalis, nepe si causa ipsa velit, quando est libera, quando autem libera non est, si ab alia non impediatur.

Tertio, si ad diuinam prouidentiam requireretur affectio finis, sequeretur non omnes homines per diuinam prouidentiam ordinatos esse in vitam aeternam, sed solum eos, qui salui fiunt, neque mortem Christi, & alia media ad salutem ordinata, esse a Deo instituta ad salutem omnium hominum, si per ipsos non steterit, quod est plusquam durum, & contra communem sententiam Sanctorum, imò etiam contra illud Pauli: *Qui vult omnes homines saluos fieri.*

Postremo, dicendum esset, Deum per suam prouidentiam non ordinasse Adamum in statu innocentiae, & in Adamo totum genus humanum, in vitam aeternam: quando quidem per media: quae in eo statu accepta: ad beatitudinem non deuenit. Dicentur

*Molina in D. Thom.*

**A** dum etiam esset, Deum per suam prouidentiam non creasse omnes homines, & omnes Angelos in supernaturalem finem beatitudinis, neque malos, tam homines quam Angelos, deflexisse a supernaturali fine, ad quem a Deo essent creati: cum non omnes beatitudinem assequantur. Item, vt dicendum esset, Deum non habuisse prouidentiam ad beatitudinem circa reprobos, sed solum circa praedestinos, ita dicendum esset, prouidentiam circa beatitudinem, non latius patere, quam praedestinationem, contra D. Thomae, communemque Doctorem sententiam. Denique dicendum esset falsum continere celebre illud pronunciatum, *homines dum peccando ordinem vnum diuinae prouidentiae egrediuntur, vel ab aliis, quandoquidem iuxta opinionem, quam impugnamus, omnis diuinae prouidentiae ordo, & omne medium illius, finem assequatur: cum autem nullus dubitare possit, haec omnia absurda ex ea opinione euidenter sequi: ea vero plusquam periculosa in fide sint, consequens est, vt iam hodie opinio quam impugnamus, minimè in fide sit tuta, ne amplius dicat.*

Pro solutione tamen argumentorum in oppositum, atque totius quaestionis intelligentia, ante oculos habendi sunt praecipui, tum fines, in quos res a diuina prouidentia ordinantur, aut permittuntur, tum ipsarum rerum, diuersorum finium comparatione, ordines. Vltimus autem, supremus, primusque quoad intentionem, totius diuinae prouidentiae finis, est Deus ipse, manifestatioque diuinorum attributorum in operibus ad extra, quae diuinae prouidentiae subsunt, ad finemque ordinari possunt. Ad hunc finem, quasi ex primaria intentione, statuit Deus sempiterna sua prouidentia condere Angelos & homines, conferreque illis media omnia, cum naturalia, tum etiam supernaturalia, ad eum finem accommodata, vt re ipsa contulit. Quoniam verò homo non solum animo, sed etiam corpore constat, quia ratione, multis subsidiis creaturarum corporearum ad vitam tuendam indigebat, illi hunc mundum vniuersum in domicilium fabricauit, vt si in eo rectè viueret, propriis meritis cum gratia diuina coniunctis, ad maiorem, minorève beatitudinem, prout ipse vellet, perueniret, aut etiam ab ea in summam miseriam deflectere posset, si rectum rationis iter tenere noller: idque quia honorificentius illi erat praemium propter meritis & industria comparatum, iustissimisque aliis de causis, vt saepe dictum est. At tanta pulchritudine, ac varietate distinctum tantaeque rerum copia, veluti in speculato refertum, domicilium hoc, ad usum, oblectationem, & scientiam homini tradidit, vt inde non solum subsidia vitae ac oblectationem capere, sed etiam in cognitionem, atque admirationem ipsius Dei posset assurgere, eiusque amore inflammari: quae omnia quaest. 2. artic. 3. ex parte sunt explicata. Quia verò, & natura ipsa rerum, ex quibus hoc vniuersum constat, id ex se habent, expediebaturque, vt mundus hic materiam laborum, arumarum, cruciarumque, qualem experimur, in eum finem conineret, vt si homo in conditorem suum foret ingratus, eumque offenderet, id totum in condignam poenam illi cederet, atque vt ex pulchritudine, & copia rerum ita subsidia vitae acciperet, vt nihil in eo stabile, cui adhærere posset, inueniret, sed omnia fluxa, caduca, ac cruciarum plena experiretur, vt vel ea ratione conditorem suum ac caelestia ardentius quaereret: inde effectum est, vt Deus talem hunc mundum a principio condiderit, qualem experimur. At quando primò genus humanum in eo collocauit, ita illud dono iustitiae originalis, ligno vitae, aliisque donis

*Prouidentia diuina varijs fines ordinatque.*

aduersus miserias omnes coniunxit, vt omnium earum expers foret, si culpæ quoque expers persistisset: tandemque per merita vitæ, summa cum voluptate comparata, Deum religiosè colendo, ad æternam felicitatem perueniret.

Quamuis autem, vt latius q. sequente explicandum erit, Deus non vnum ante aliud, sed omnia simul, vnico simplicissimo decreto, quo integra ratio prouidentia ipsius completur, constituit: nihilominus ea, quæ hæcenus explicauimus concipienda est quasi prima intentio diuinæ prouidentia, in Angelis: hominibusque in sempiternam beatitudinem condendis, mundoque hoc vniuerso hominum gratia fabricando, atque in his omnibus propter Deum ipsum tanquam finem vltimum efficiendis, vt ei ad laudem, gloriam ostensionemque suæ bonitatis, sapientia, potentia, reliquorumque attributorum delerent. Cernens verò ex hypothesi, quòd Angelos & homines in suam beatitudinem cum auxiliis & circumstantiis rerum, cum quibus eos in hoc mundo condidit, creare vellet, futurum lapsum quorundam Angelorum, totiusque generis humani: eo ipso decreto, quo homines ita creare constituit, & consequenter ruinam generis humani permittere (quam tamen non foret permitfurus, nisi remedium adhibere decerneret) quasi inde sumpta occasione, constituit longè maiora bona, longèque maiorem bonitatis, misericordiae, sapientia, potentia, atque iustitiae suæ ostensionem, per proprii filij incarnationem, quam ad reparationem generis humani decreuit: simulque voluit, vt miseriarum omnes, quas, amisso statu innocentiae experimur, in penam peccati, ostensionemque iustitiae suæ cederent, tum etiam vt eadem miseriarum, peccatarumque malorum, in cumulatis meritis, illustrioremque coronam iustorum redundarent: atque ita peccatis quorundam coronæ martyrum fabricarentur, & redemptio generis humani perficeretur: tum denique, vt sempiterna punitione impiorum apud inferos ob peccata, quæ vitare, vel per penitentiam delere potuerunt, in æternum sua iustitia, sicut in prædestinatis misericordia, splenderet. *Ad hoc enim bonus est, vt nullo modo mala permitteret, nisi inde maiora bona esset eliciturus, vt Augustinus in Enchir. cap. 11. est autor.*

*Prima qua si intentio diuinæ prouidentia.*

*Et permissio peccatorum qua bona Deus elicitur.*

Sunt verò pleraque alia bona, quæ Deus ex permissione malorum elicere nouit, de quorum numero sunt, quæ Damascenus lib. 2. fidei Orthodoxæ cap. 29. his verbis connumerat. *Sunt quædam, inquit, secundum permissionem. Nam sicut frequenter iustum incidere in calamitates, vt virtutem, quæ in illo latebat, alius aperiam, manifestamque faciat, vt in Iob. Aliquando sicut quippiam absurdum fieri, vt per operationem, quæ absurda videtur, magnum aliquid & admirabile dirigat & operetur, vt per crucem salutem hominum. Et alio etiam modo sicut sanctum male affici, vt ex recta conscientia non occidat, aut ex indulta ei virtute gratia, in superbiam non extollatur, vt in Paulo. Immoderatum desiderium in malis, ad vitam aliorum in melius commutandam, vt alij videntes, quod apud illum est, emendemur, vt in Lazaro & diuite. Naturaliter enim ipsi, videntes alios patientes, corripimur. Relinquitur & quis ad alterius gloriam, non per proprium, aut parentum peccatum, et cæcus a natiuitate ad gloriam filij hominis. Rursum sicut quis pati in alterius zelum, vt gloria patientis magnificata, impiger alius stimulus incitetur spe futurae gloriae, & futurorum desiderio honorum, vt in martyribus. Permittitur & quis quandoque in turpem incidere actionem, ad emendationem deterioris affectus. Forbi gratia, quis est elatus in virtutibus, & velle*

*A factis suis, hunc finit Deus in adulterium prolabi, vt per casum in cognitionem propria infirmitatis veniens, humiliatus confiteatur Domino. Hæc Damascenus.*

Porro quæ Deus non aliter vult esse nisi præexistente peccato, potissimum quæ vult in penam iustam peccatorum, esto ea per suam prouidentiam in ostensionem suæ iustitiæ, aliorumque suorum attributorum ordinet, sicut tamen non sunt ab eo volitata, nisi voluntate consequente, vt cum Damasceno quæstione 19. artic. 6. est explicatum; eò quòd, vt nollet peccata esse, si & homines, & Angeli idem vellent, sic etiam neque vellent ea punire: ita etiam pertinent quasi ad secundariam intentionem diuinæ prouidentia, qua, præuidens quorundam Angelorum & hominum voluntariam defectionem à fine, ordine, atque primario instituto suæ prouidentia, defectionem ipsam & peccata, quæ iustissimis de causis statuit permittere, quasi secundaria intentione in eundem quidem vltimum finem ostensionis suorum attributorum, at alio ordine & mediis dirigit. Atque hoc est, quòd dici conluevit, homines & Angelos, dum per suum arbitrium peccando egrediantur ordinem vnum diuinæ prouidentia, quo per suam misericordiam in sempiternam felicitatem dirigebantur, incidere in alium, quo quasi secundaria intentione peccata permittit, vt in eorum punitione splendeat diuina iustitia, atque ob alios præclaros fines, ad quos congruis mediis deuenitur. Itaque cum decretum liberum voluntatis diuinæ executioni mandandi ordinem præconceptum mediatorum ad fines, per quod completur ratio prouidentia diuinæ, non aliud sit, quam volitio ipsa libera, qua Deus vult res ad suos fines, quasdam absolutè, quasdam sub conditione, vt quæstione 19. articulo 6. explicatum est: sit, vt quemadmodum in libera volitione diuina distinguitur voluntas, absoluta videlicet, & conditionata, antecedens & consequens, vt ibidem cum Damasceno docuimus: ita etiam in decreto mandandi executioni, quantum est ex parte Dei, ordinem mediatorum ad fines à Deo præconceptum, per quod completur ratio diuinæ prouidentia, distinguenda sit intentio finium per media diuinæ prouidentia, in conditionatam, & absolutam, antecedentem, seu primariam, aut quasi primariam, & consequentem, seu secundariam, aut quasi secundariam.

Ex his facile colligi possunt, quæ sequuntur. Primum est, voluntatem diuinam exequendi ex parte sua ordinem præconceptum mediatorum ad finem, non comparatione cuiusque ordinis suæ prouidentia esse voluntatem absolutam finis, sed sæpe esse conditionatam, conditione pendente ex libero arbitrio creato, si scilicet vno, aut altero modo cooperari velit. Quòd fit, vt comparatione talis finis, sit quidem in Deo prouidentia, qua homines omnes & Angelos in vitam æternam dirigit: quandoquidem est in eo voluntas exequendi ordinem mediatorum, quo, si vellent, ad eum finem peruenirent: ea tamen prouidentia, non voluntatem absolutam, sed conditionatam finis includit, ac proinde in multis ordo ille diuinæ prouidentia frustrari potest, & frustratus est. Imò verò, cum omni adulto voluerit Deus beatitudinem dependenter à libero vsu proprii cuiusque arbitrij, atque ad eò sub conditione, si & ipse velit, vt quæstione sequenti explicabimus, nemini voluit absolutè eum finem, nisi posita præiustione talis vsus arbitrij, qualis ad salutem est necessarius, idque ex hypothesi, quòd in tali vel tali ordine rerum vellent eum collocare, vt quæstione 19. articulo

*Peccatoris pena velut ad secundariam prouidentiam ordinem vt pertinet.*

*Voluntas diuina exequendi ordinem suam prouidentiam cuius finis comparatione sit absoluta, & cuius ni p.*

articulo 6. ex parte explicatum est, & quaestione sequenti plenius dicemus.

Secundum est, si loquamur de intentione quasi primaria diuinæ prouidentiae, atque de praeciso ordine, quo res arbitrio praeditas dirigit in beatitudinem, peccata, quæ arbitrio creato fiunt, non cadere sub diuinam prouidentiam tamquam media ad finem, quin potius eiusmodi creaturas peccando egredi ordinem illum, deficeretque ad finem, ad quem diuina prouidentia dirigebantur. Verum quia in dirigendis eiusmodi creaturis in sempiternam felicitatem, ad eam quoque prouidentiam spectat, vt in manu consilij sui relinquuntur (id enim, & naturæ rationali magis congruit, & honorificentius est) fit, vt eatenus permissio peccatorum ad diuinam prouidentiam pertinere dicatur, quatenus ex eius quasi primaria intentione constitutum est, vt liberi suam felicitatem consequantur, & consequenter peccare permittantur. Quia ratione Dionysius sub finem capituli 4. de diuinis nominibus merito redarguit quosdam, qui dicebant, oportere prouidentiam inuitos etiam nos ad virtutem impellere, dicens: *Prouidentia non esse naturam interuimere, sed unicuique rei prouidere, vt operetur suæ naturæ accommodatè.* Pertinet etiam ad diuinam prouidentiam, tum quasi secundaria intentione permissionem ipsam peccatorum dirigere, interdum in commodum ipsorum met peccantium, interdum in aliorum vtilitatem, tum vt peccatorum occasione abundantius thesuros suæ misericordiæ & liberalitatis diffundat, tum etiam vt illorum occasione diuina bonitas, misericordia, sapientia, potentia, atque iustitia clariùs, & illustriùs in operibus suis manifestentur, vt superius explicatum est.

Tertium est cum ex vna parte diuina prouidentia tam copiose ac dilucidè splendeat in toto hoc vniuerso, atque in singulis quibusque minutissimis illius partibus: ex alia verò tot miseris genus humanum sit oppressum, tot homines, tamque frequenter à recta ratione, finetque suo deficiant, aliofque iniuriis afficiant: mirandum non est, si abolita fide, notitiæque primæ rerum constitutionis, atque originalis peccati in tam magna orbis parte, præclara philosophorum ingenia circa Dei prouidentiam obcæcata fuerint, quidamque, contra patentissima indicia & argumenta illam aut omnino, aut magna ex parte negauerint: alij verò, de quorum numero est Aristoteles, eam quidem fuerint confessi, at non ea firmitate ac constantia, qua par erat. Quæ tamen de prima rerum constitutione, lapsu primorum parentum, peccato originis, quod totum genus humanum infecit, ac pœnis, quæ inde subsecutæ fuerunt, fides docet, supraque in explicanda quasi prima diuinæ prouidentiae intentione adnotauimus, iuncto decursu Ecclesiæ ab orbe condito, remediisque contra peccatum, quæ Deus variis temporibus exhibuit, vt Scripturæ sacræ veteris ac noui testamenti testantur, tenebras omnes circa diuinam prouidentiam depellant, omniæque optimè consentire faciunt: id quod inter argumenta, quibus fides Catholica confirmari solet, merito numerari potest.

Postremò duo sunt animaduertenda. Vnum est, ad perfectissimam prouidentiam necessarium esse, vt prouisor certò antea intelligat, quid ex medijs, quæ ex sua parte ad finem per prouidentiam suam adhibere statuit, sit aut non sit euenturum. Quare hoc, præter alia, inter diuinam prouidentiam & nostram interest, quòd Deus semper præintelligit quid ex medijs, quæ prouidentia sua adhibere statuit, euenturum sit, ac proinde quæ media profutu-

*Molina in D. Thom.*

ra, aut nocitura sint, rebus libero arbitrio præditis, propter vnum, aut alterum vsum arbitrij futurum: cum tamen per arbitrium ipsum stet, quod non omnia in suum commodum vertat. Ratione verò huius certissima præintellectionis, quæ in Deo est, ipsa Dei prouidentia dicitur nunquam falli, quia sicut certissimè præuidet, quid ex suis medijs sit euenturum, ita id omnino eueniet. Cum verò nos quàm sepius ignoremus qualem exitum habitura sint media, quæ ad finem adhibemus, idque non solum quando per aliam rem, libero etiam arbitrio præditam, finem aliquem assequi volumus, sed etiã quando fines alios, non tamen, per alienum arbitrium, intendimus: inde est, quòd sæpe prouidentia nostra fallatur, aliterque res, contrariumque eius eueniat, ac sperabamus. Atque hac ratione Sapient. 9. cogitationes mortalium dicuntur timida, & incerta prouidentia nostra.

Alterum est, siue ordo diuinæ prouidentiae ad primariam, siue secundariam intentionem spectet, semper effectum omnem, qui à libero arbitrio creato modo aliquo pendet, posse re ipsa euenire, ac non euenire, ac proinde ordinem causarum, aut mediorum, qui diuina prouidentia constitutus est, nullam omnino necessitatem libero arbitrio afferre. Quod intelligendum est, non solum de necessitate consequentis, sed etiam consequentia. Quia ratione Damascenus 2. libro fidei Orthodoxæ cap. 29. vt quaest. 19. art. 6. disputatione 1. relatum est, merito dixit ea, quæ ab arbitrio creato pendet, non solum esse effectus diuinæ prouidentia, sed etiam ipsius arbitrij. Etenim aliud est loqui de ordine ipso causarum, ac mediorum diuina prouidentia constitutorum, aliud de præscientia, qua Deus præuidet, existente hoc ipso ordine rerum, causarum, ac mediorum, pro libertate arbitrij creati hos, vel illos effectus esse euenturos, cum possent re ipsa non hi, sed contrarij euenire, si arbitrium ipsum, vt potest, id vellet. Si namque loquamur solum de ordine ipso causarum, ac mediorum diuina prouidentia constitutorum, sublatâ præscientia, quòd futura sint, quæ nullo modo est causa rerum, vt quaest. 14. artic. 8. & 13. latè ostensum est, vtrique effectus neque necessitatem consequentia habent comparatione illius, nullumque omnino absurdum sequeretur, si illis ita existentibus, eueniret contrarium eius, quod re ipsa euenturum est. Si verò loquamur de præscientia, contrahunt quidem necessitatem consequentia comparatione illius: at id non tollit, quominus effectus re ipsa possit aliter euenire: quandoquidem, vt art. 13. citato ostensum est, non quia Deus præsciuit effectum ita euenturum, eueniet: sed quia ita est euenturus, cum possit non euenire, Deus ex altitudine ac perfectione sui intellectus præsciuit effectum euenturum: si autem contrario modo, vt potest, esset euenturus, contrarium præsciuisset, & non id quod re vera præsciuit.

Quando ergo D. Thomas, & Boëtius locis citatis, ac quidam alij affirmant, ordinem diuinæ prouidentia esse certum, immobilem, & indistolubilem quoad effectus affectionem, ordinemque illum appellant fatum, qua ratione Boëtius, & plerique alij asserunt, tantam certitudinem esse in fato, illo modo sumpto, quoad euentum effectus, quanta est in diuina prouidentia (differrèque fatum à diuina prouidentia, quòd prouidentia sit ordo causarum ac mediorum, in finem mente, ac voluntate diuina præscriptus, ac constitutus, formalitèrque in ea existens: fatum verò sit executio ordinis, qui mente ac voluntate diuina præscriptus, constitu-

Aa 3 rursusque

*Prouidentia diuina præcisa à præscientia nullam afferit liberi arbitrij effectibus necessitatem.*

*Boëtius & D. Thom. explicantur.*

*Diuina prouidentia euenit nunquàm fallitur.*

rūque est. Quando, inquam, hæc ita affirmant, si di-  
 uina prouidentia, ea præcisa ratione spectetur, qua  
 ratio, seu conceptio est ordinis mediourum in finem  
 cum proposito talem ordinem, quantum est ex par-  
 te Dei exequendi, in quo ratio diuinæ prouidentia  
 est posita, secludaturque diuina præcipientia, qua  
 quid inde per liberum arbitrium creatum fit, aut  
 non sit euenturum cognouit, quæ non tam ad  
 prouidentiam, quam ad perfectionem prouidentia  
 spectat: planè non solum falsum affirmant,  
 sed etiam id astruunt, quod non dubitarem errorem  
 in fide appellare. Quare neque in prouidentia ita  
 sumpta, neque in executione illius, hoc est, in ordine  
 causarum & mediourum executioni mandatorum,  
 quem ipsi fatum appellant, vlla est certitudo comparatione effectuum, qui ab arbitrio creato pendet.  
 Si verò simul cum prouidentia spectetur præcipientia, qua Deus, tum ordinem ipsum certò nouit ita  
 esse futurum, tum eo ordine dato, nouit certò quid  
 per arbitrium creatum esset futurum, cum re ipsa  
 esse posset oppositum, concedendum est, ordinem  
 diuinæ prouidentia, prout ita à Deo ex altitudine,  
 & perfectione sui intellectus præuisus est certò futurus, certum, immobilem, ac indissolubilem esse  
 quoad effectus assecutionem: certitudine tamen,  
 quæ solum oritur ex necessitate consequentia, modo paulò ante explicato, atque immobilitate, &  
 indissolubilitate, quæ in necessitate solum consequentia sit posita. Atque ad hunc sensum accipiendi  
 sunt Diuus Thomas, & Boëtius locis citatis.

Arbitror tamen non esse ita loquendum. Primò  
 quoniam multi sunt ordines diuinæ prouidentia  
 comparatione finium, quos Deus dependenter ab  
 arbitrio creato intendebat, voluntatèque condi-  
 tionata, ac antecedente volebat: qui tamen ordi-  
 nes, fines illos, ad quos ex diuina prouidentia diri-  
 gebantur, culpa liberi arbitrij creati, non asse-  
 quuntur. Quare non omnis ordo diuinæ prouidentia  
 est certus, immobilis, & indissolubilis quoad  
 effectus assecutionem. Secundò, quoniam etiam  
 illi ordines diuinæ prouidentia, qui fines ab ar-  
 bitrio creato pendentes assequuntur, secundum  
 se spectati, non sunt certi, immobiles, & indissolubiles:  
 quin potius suapte natura, ac simpliciter, contrarium  
 eis conuenit: cum ergo necessitas consequentia, ex  
 certitudine diuinæ præcipientia, quòd fines assequerentur,  
 naturas eorum non tollat, aut mutet: fit, & simpliciter non  
 sunt appellandi, certi, immobiles, ac indissolubiles,  
 sed solum secundum quid, prout scilicet à diuina  
 scientia, supra id, quod nature rerum ex se habent,  
 ob altitudinem ac perfectionem diuini intellectus,  
 præcogniti sunt ita futuri, præcognitumque etiam  
 est ex eis, concurrente simul arbitrio creato, eiusmodi  
 effectus esse euenturos, cum re ipsa contrarij euenire  
 possent, si arbitrium ipsum, ut potest, vellent.  
 Non etiam placet ordinem illum causarum & mediourum  
 diuinæ prouidentia comparatione talium effectuum  
 fatum, certum, immutabile, ac indissolubile appellare.  
 Tum quòd nomen ipsum fati Sanctis suspectum inuisumque  
 fit, propter errorem multorum, qui arbitrabantur,  
 esse ordinem quemdam causarum ex se indissolubilem,  
 & necessarium comparatione effectuum. Tum etiam,  
 quòd ordo ille suapte natura incertus, mutabilis,  
 ac dissolubilis sit, solumque ex diuina præcipientia  
 necessitatem quòdam còsequentiæ contrahat.

*Prouidentia non includit præcipientiam euenturum.*

Dixi paulò superius, præcipientiam, qua Deus certò nouit quid euenturum, aut non euenturum sit per arbitrium creatum ex quocumque ordine

A causarum & mediourum diuinæ prouidentia, comparatione effectuum, qui ab arbitrio creato pendem, non tam ad prouidentiam, quam ad perfectionem prouidentia spectare: quoniam si per impossibile in Deo esset solum scientia, qua rectè nosset adaptare, & ordinare media, quibus arbitrium creatum ad fines, & effectus sibi proprios dirigeret, sine præcipientia, qua certò cognosceret quam partem arbitrium esset electurum, lanè præconceptio ordinis mediourum ad talem finem, cum proposito, quantum est ex parte Dei, eumdem exequendi, haberet rationem prouidentia diuinæ comparatione talium finium: non tamen esset præcipientia in Deo effectuum, qui per arbitrium creatum essent futuri, ac proinde neque vlla esset certitudo in prouidentia diuina comparatione talium effectuum, neque vlla immutabilitas, ac indissolubilitas in causis, & mediis comparatione eorumdem. Quare præcipientia illa diuina, ex qua eiusmodi necessitas consequentia, immutabilitas, atque indissolubilitas mediourum diuinæ prouidentia emanat, solum pertinet ad perfectionem diuinæ prouidentia.

Ad primùm ergo in oppositum, concessis omnibus, quæ in eo assumuntur, negandum est inde sequi, prouidentiam diuinam, qua diuina prouidentia est, semper esse de mediis ac fine assequendis: non enim necesse est, ut quod ad rationem partis subiecta spectat, ad rationem quoque totius vniuersalis pertineat: de ratione namque hominis est, quòd sit ratione prædictus: quod tamen de ratione animalis non est. Prædestinatio autem non solum prouidentiam diuinam includit, sed prouidentiam diuinam circa beatitudinem: neque hanc solum dicit, quippe cum & nõ prædestinatis eadem prouidentia prouideat, sed dicit prouidentiam diuinam circa beatitudinem comparatione eorum solum, qui eam consequuturi sunt: ratio verò eius, quod præter rationem prouidentia circa beatitudinem addit, includit assecutionem finis.

Ad secundum dicendum est, prouidentiam diuinam, præter rationem mediourum in finem, includere quidem propositum voluntatis mandandi ordinem mediourum executioni, quantum est ex parte Dei: propositumque eiusmodi esse voluntatem absolutam exequendi certa aliqua media: at non esse propositum assequendi efficaciter finem, sed dependenter à conditionibus, sub quibus est volutus & intentus: quare licet diuina prouidentia includat propositum efficax exequendi aliqua media, non tamen assequendi finem.

Ad tertium dicendum est, nullum esse absurdum, diuinam prouidentiam frustrari comparatione finis, quem neque vult, neque intendit, nisi voluntate conditionata, dependenterque ab arbitrio creato, quod ordine suæ prouidentia sufficienter adiuuare intendit ad talis finis assecutionem, si eum assequi velit.

Ad confirmationem dicendum est, Ecclesiam in eo sensu asserere, Deum quoad suam prouidentiam non falli, quod certò præuidet, quenam erunt rerum, de quibus habet prouidentiam prodesse, aut obesse debent, vnde continuo subiungit: *re supplices exoramus, ut noxia cuncta submoueas, & omnia nobis profutura concedas:* itèque quòd certò præuidet, ex quibus sequetur, aut non sequetur effectus, sub conditione, voluntatèque antecedente prouisus, ac intentus, in quo diuina prouidentia nostram superat: non verò quasi semper poni debeat assecutio finis, qui diuina prouidentia intenditur.

*Ad primum argumentum, pro Casu, opinio.*

*Prædestinatio est pars subiecta prouidentia, & quid supra eam addat.*

*Ad secundum.*

*Ad tertium.*

*Ad confirmationem.*